ABSALON ET ACHITOPHEL.

POEMA

Latino Carmine Donatum.

by John Dryden

Hæc placuit ſemel: hæc iterùm repetita placebit? Hor.

First published in 1681

OXON,
Typis *Lichfieldianis*, Proſtant apud *Johannem Croſley*,
Anno Domini 1682.

1166
10-2

15435.22.6 *

HARVARD COLLEGE
AUG 21 1905
LIBRARY

Blake gift

ABSOLON & ACHITOPHEL.

POEMA

Carmine Latino Donatum.

Ad Lectorem.

En tandem, Amice Lector, *(quod dudum pollicitus ſum) Poema ſuis abſolutum numeris! Cui tamen ſupervacaneum duxi, moræ excuſandæ gratiâ, aliquid præfigere. Id unicè ſollicitum me habet, ne tale fortaſſe videatur, quod nec jam debuerit emitti.* Vale.

NOndùm Myſtarum, Pia Fraus eluſerat orbem,
Nondùm uni Conjux porrexerat ora capiſtro:
Sed ſimilem amplexa eſt, naturâ urgente, maritum
Sponſaque, & innocuo reſidens in fornice Pellex.
Tunc, qui Judaicas rerum flectebat habenas
Jeſſides, cœlo charum caput, integer ævi
Igne pari *Nuptas* arſit *Servasque*, *Tonantis*
Ectypa ſyderei brevibus tranſcripta tabellis
Diffundens lati vaga per confinia regni.
Imperii ſocios *Michale* geſtabat honores,
Sollicito (heu!) nimiùm Tellus ingrata Colono;
Sed Reliquis impar: Regi nam plurima Mater
Penſabat ſteriles numeroſo Pignore curas.
At quoniam non æqua Venus genialia caſti
Fœdera concuſſit lecti, male defuit, Idem
Qui foret & ſcepiri Jeſſæi, & ſanguinis Hæres.

Hanc inter florentem annis, tituliſque catervam
Abſolon emicuit princeps, quo pulchrior alter
Non fuit *Abramidûm*, Judæa neque induit arma.
Credibile eſt, tantum cùm, non lævo omine Divûm,
Moliretur opus, majore libidinis œſtro
Impulſum, haud ſolitæ Veneri indulſiſſe Parentem.
Ni forte egregium os, & pulchræ frontis honores
Sors dederit, certi non irrita pignora regni.
Illum etiam imberbem longe diſtantibus oris
Bellica clarabat virtus, cùm vindice ferro
Suſtinuit patrii Socialia Fœdera regni.
Pace ducem excutiens duri Mavortis amorem
Dedidicit, dextrâque potens tractabat inermi
Idalios arcus, & amica Cupidinis arma.
Quicquid agat Juvenis, nativo ac ſimplice cultu
Splenduit. Olli omnis geſtuſque, & norma loquendi
Sponte ſuâ effluxit, mollique in pectore ſpirans
Gratia purpureos oculis afflavit honores;
Et pulchrum enituit Proles confeſſa Parentem:
Jeſſidæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Hinc Illi *Annabalem* generoſo ſanguine cretam
Conjugio junxit ſtabili, propriamque dicavit.
Omne nefas (quis enim vixit ſine crimine?) cæcum
Vel latuit, vel dixiſſes latuiſſe Parentem.
Si forte exundans juvenili efferbuit æſtu
Sanguis, & immiſtas ſpumanti gurgite ſordes
Eluit, effrænis pia Lex hoc imputat annis.
Uſque cadas *Amnon*; læſæ tamen hoſtia famæ
Concidis; hoc tacitam prætexunt nomine culpam.
Sic merito plauſûque virûm, ſtudiiſque faventûm
Incaluit fælix, annis labentibus, Heros;
Dùm placidos longâ populos in pace regebat
Jeſſides. Sed enim nihil omni ex parte beatum eſt:
Explorat juſtos duro ſub verbere Numen;
Caſtigatque malos. —— *Abra-*

Abramidæ duri, genus intractabile semper,
Et varium; quos jam series exhausta favorum
Incassùm obruerat; longo gens ebria luxu,
Ætheriisque tumens epulis, Regumque Deûmque
Contemptrix; olim formare edocta, novæque
Jam bene tornatos incudi reddere divos:
Heu! nimiùm, nimiùmque excussis libera frænis
Exanimes captant umbras, & somnia ficti
Servitii. Sed cùm late regna omnia circùm
Prospicerent duri flagris subjecta Tyranni
Immunes ipsi; tum primùm accensa libido
Tesqua inculta sequi, & sylvestribus horrida dumis:
Tum primùm laudare viros, qui, more ferino,
Indomitum nullis agitant sub legibus ævum.
Scilicet Hi, postquam cecidit Pater, *Isbosthethum* his Cromwel.
Impulerant raptis facilem decedere regnis:
Hi Regem, Hebronicis ageret cùm finibus Exul,
Excipiunt reducem, & juncto clamore salutant.
Hi tamen ingenii motus; nil præstitit unquam
Intemerata fides. Verso nàm cardine rerum,
Arte laboratum mox damnant numen, & aris
Impositos queruli tandem indignantur honores.
Quid vetuit fragiles fædare in pulvere divos,
Quos manibus struxere suis? si forte Juvenci
Immanem aurati formam induat, & Popularem
In vitulum liquidi vanescat Regis imago.
Hactenùs ambigui divisa opprobria vulgi
Sparguntur; nondùm collectis viribus agmen
In scelus ibat ovans, junctæque umbone phalanges.
Pars populi, quorum melior sententia menti,
Quos & certa quies, & Pax tranquilla juvaret,
Præteritique memor flebat, metuensque futuri.
Nec dùm etiam exciderant animo discrimina regni
Pristina, adhùc tristes inhonesto vulnere malas;

Spectat

Spectat; adhuc Veteris terrent vestigia cædis,
Servatique iterùm bellis civilibus anni.
Quo gemitu conversi animi in meliora ruebant,
Et justam dubio firmabant pondere lancem:
Quæque erat in vultu Jessæo gratia, belli
Præripuit causas, & acerbi pectoris iras.
Sed cùm animos stimulet peccandi occulta libido,
Mox flatu Satanas sopitos ventilat ignes:
Lenonisque modo, optatos indulget amores.
Hinc *Causæ Veteris* fœcundo è semine *FOEDUS*.
Vera, an falsa licet jungantur fœdera, plebem
Evehere ad Fasces gaudent, exscindere Regem.
Urbs antiqua fuit, (Jebici tenuere coloni)
Arx *Syriæ* indomitæ, nomenque & munia debens
Civibus indigenis: sed cùm, volventibus annis,
Paulatim invaluit cœli delecta Propago,
Vis juris mensura fuit. Tùm, judice ferro,
Continuò fluere, ac retrò sublapsa referri
Res *Jebiûm*; fractæ vires, aversa Dei mens.
Lassati tandem bellis, fatisque repulsi
Haud sponte Isaciis summittunt ora lupatis.
Erepti census, omnisque avulsa potestas;
Amissis crescunt nova vectigalia campis:
Et quod adhùc gravius, (crimenque caputq; malorum)
Cælicolûm cineres, ustique injuria Divi
Sollicitat miseros: sedet hoc sub pectore vulnus,
Incenditque animos. Diverso sydere ritus
Quanquàm obeant Mystæ varios, Fraus omnibus una
Stet licet ignavum de saxo aut stipite Numen, (est.
Haud minùs hoc ipsum telis animisque tuentur
Cultores, quàm si cælato viveret auro.
Atque adeò super his, quanquam infensissimus Ordo,
Rabbini plaudunt: neque enim culpare licebit,
Si divum audaces, à quo vescuntur, adorant.

Hinc

Hinc illæ Lacrymæ, hinc patriæ communis Erinnys
CONCILIVM horrendum; cujus pars altera veris
Nititur indiciis, fictâ pars altera famâ.
Exceptum immodicis nùnc plauſibus, &, vice verſâ,
Nùnc actum immodicis clamoribus: inde refellunt
Defuncti, hinc vivi jurant in *FOEDERA Teſtes*:
Necdùm vulgus iners metuendi viſcera Monſtri
Rimatur: (non eſt ea cura) ſed indigeſtos
Arripit, atque avido ore incoctos devorat artus.
Vera fides rerum fictâ ſub nube laborat:
Scilicet arriſit populo, ſapientibus idem
Qui fuit indeprenſus, & irremeabilis Error.
Sera dies parili culpâ notat, omnia ſeu quis
Excipiat bibulâ, clausâ ſeu reſpuat aure.
Niliacos coluit Ritus Jebuſita Sacerdos:
Sanctum illic guſtu viguit ſub Judice Numen.
Quantus adorati ſapor eſt, Quæ gratia Divi
Cùm Famulis victum pariter, cultumque miniſtret!
Hos ubi telorum pia vis obtrudere Divos
Non valuit, (neque enim turmæ par unus ovanti
Congreditur) ſacras artes, nova pectore verſant
Conſilia; &, cùm non ſtricto decernere ferro
Auderent, ſolidis ſtant obnixi argumentis.
Infert ſe nebulâ ſeptus mirâ arte Sacerdos
Per medios, miſcétque viris, neque cernitur ulli,
Uſque venenatæ fatalia ſpicula linguæ,
Perque Aulam infamem jactans olidumque Lupanar.
Hinc juſtâ Templi Cuſtos excanduit irâ,
Ereptum plorans lanato cum grege vellus.
Fama volat fætos nitrato turbine ſcloppos
(Hæc quanquam ſeris procuſa nepotibus arma)
Intendiſſe necem Regi: me Judice crimen
In dubio eſt: ſed cui notum, quo triſtis Erynnys
Præcipitet *Jebios* cædiſque inſana cupido?

At *Conjurati Sceleris* quanquam exitus impar
Principiis, vanuſque furor: tamen uſque reliquit
Triſte mali augurium, & diræ veſtigia cladis.
Febris ut exeſas cum torreat igne medullas
Qui parco tremulam lavit modo flumine venam,
Nunc tumidus laté furit, & ſpumantibus ardet
Viſceribus ſanguis; plenoque exuberat æſtu:
Tùnc membris excuſſa quies, tùnc aggere rupto
Proſilit, atque immane fremit circumfluus humor.
Haud aliter placido imperio quæ prima malorum
Cauſa fuit, priſco torpere haud paſſa veterno
Excivit Partes varias; ſubitoque Tumultu
Diviſum traxit ſtudia in contraria Vulgus.
Multos laude Cliens accenderat; & ſua multis
Scilicet arriſit ſapientia: protinus Ollis
Inviſæ, quas non licuit geſtare, ſecures.
Pars, quos impulſæ præceps immane ruinæ
Obruerat ſummi turbatos culmine Regni,
Ceu Lemures, animum diræ formidine culpæ
Confirmant. Aliis, quos ſeditione potentes
Antiquâ, urgebat meriti vicinia fati,
Ignovit læſi Regis favor: inque merentes
Admovit ſolio, & Socios indulſit honores.
Proh mentis ſcelus ingratæ! proh pectora nullis
Devincta Officiis, nulli Subjecta catenæ!

Vir gregis, & Scelere ante alios immanior omnes
Achitophel, ſera inviſum per ſecula Nomen:
Arcanos verſare dolos non futilis Author.
Ingenium Huic velox, Audacia perdita, Virtus
Neſcia ſtare loco; laudumque immenſa Cupido:
Idem & dedecoris vindex acerrimus. Olli
Dum nimis anguſtis animi vis ignea clauſtris
Irrequieta furit, Pygmæos deterit artus,

Par-

Particulas animans nimiâ virtute puſillas,
Ipſe Gubernator, tollentibus æquora nimbis,
Bella Notis indixit ovans: ſed viribus impar
Cùm placidum ventis ſtaret mare, gaudet hiantem
In brevia & ſyrtes præceps urgere carinam.
Scilicet Ingenii ſoror eſt Inſania; utrinque
Et gracilis cognata ſecat confinia limes.
Unde etenim Ille opibus pollens, tituliſque ſuperbus
Occultas ſtruat inſidias, animumque fatiget
Conſiliis, ſeramque daret per membra quietem?
Unde illum inſano juvet indulgere labori,
Noctes atque dies ne quicquam pectore curas
Verſantem, cùm nùnc gelidus tardante ſenectâ
Sanguis hebet; frigèntque effætæ in corpore vires?
Nempe ut divitias hæc per tormenta coactas
Hæredi tradat fatuo, quem mente ſiniſtrâ
Informes curas, & rerum ænigmata volvens
Progenuit Pater: hinc rudis indigeſtaque moles
Proſilit, horendum ac viſu mirabile Monſtrum,
Plebeii Illa eadem Regnique, & Patris Imago.
Quin & mente duplex, & inexorabilis irâ
Æſtuat, Iſacias ardens miſcere ruinâ,
Ad ſua ni domitas diducat flagra, Cohortes.
Hinc Triplicem rupto divulſit Fœdere *Nodum*,
Ire foras raptos Sceptri venalis honores
Juſſit, & externo patriam ſervire Tyranno:
Concuſſæ penitus regni tremuere columnæ.
Inde metu trepidans, famæ tamen uſque petitor,
POPLICOLÆ Arripuit Sacrum & venerabile nomen.
Nec cuiquam Labor eſt, dùm publica jura capeſſit,
Antiquum ſcelus, & privatam eradere labem.
Tunc data libertas odiis, tunc fræna furori,
Cùm ſceleris liceat populos habuiſſe Patronos.
Turba ſilet: ne ſi commiſſa piacula duris

Caſtigent trutinis, juſtoque examine librent,
Forte ſuum pandant alieno in crimine crimen.
Sed tamen & meritæ ſunt hìc ſua præmia laudi.
Odimus incenſo jactantem verba Senatu;
Proſequimur plauſu ſcandentem immane Tribunal.
Cauſæ Ille ancipiti vigiles intendit ocellos;
Et nunquàm ad poſitos vendit ſuffragia nummos.
Litibus implicitum nullo gravis ære Clientem
Eripuit; tetricis non Frons ſterit aſpera rugis:
Sed viſu facilis, dictuque affabilis iras
Succidit roſtri, & clamoſæ jurgia linguæ.
Quod ſi paciferæ mentem expleviſſet opimam
Cura Togæ; ſi non glebæ prædivitis uber
Infælix lolium, & ſteriles fudiſſet avenas;
Haud Pater erepti plorâſſet funera Nati,
Nec querulo attentos moviſſet pollice Divos:
Achitophel ſacras daret alta in carmina vires,
Illo Jeſſææ tremerent ſub nomine chordæ.
At levis ambitio gaudet, poſt terga relinquens
Secutum virtutis iter, per lubrica ferri,
Ardua per, per iniqua; &, fortunâ auſpice, labi.
Achitophel ſtudiis torpere ignobilis otî
Haud ultra patiens, & inerti incumbere famæ,
Abnegat Auricomos ramis decerpere Fœtus,
Ni decus arboreum populari diſſipet aurâ.
Regem ergo, offenſæ veteris reus, hoſtis arenam
Provocat in mediam; & ſtrictis ſtat cominùs armis:
Elatóque tegens animoſum umbone popellum
Ipſe ſub orbe latet. Gratam dehinc *FOEDERIS* anſâ
Arripuit; vano populum Sermone replebat
Gaudens, & pariter facta atque infecta canebat.
Tùm monſtris terrere novis, & ſpargere voces
In vulgum ambiguas; immania ferre ſub auras
Conſilia, & *Jebiſum* laudantem jura Tyrannum.

Irritant

Irritant animos hæc (quanquam vana ſerantur)
Murmura ſollicitos, & jam pridem arma frementes.
Scilicet implicitos dubiâ vertigine gyros
Volvit; (ut emenſum cùm Luna redintegrat Orbem)
Et jam bis denis, Vaga Gens, redeuntibus annis,
(Naturæ imperio) Regalem alternat honorem.
Deerat adhuc *Cauſæ* Princeps: fortiſſimus unus
Abſolon ante alios placuit: non ut nova poſſit
Fama Ducis, nomenque virûm volitare per ora:
(Nam neque Patriciis amor eſt, nec lurida bilis)
Sed quia, plebeios Titulo poſcente favores,
Captaret ſupplex tumidi ſuffragia vulgi;
Si fortè Imperii paulatìm elapſa poteſtas
Regales Turbæ informi ſubmittat habenas.
Illi ergo *Achitophel*, nactus molliſſima fandi
Tempora, compoſitis permulcet pectora dictis,
Occultum inſpirans ignem, fallenſque veneno.

O Decus *Abramidûm*, quo jam naſcente Cometes
Tranavit liquidas auguſto ſyrmate nubes.
O lux Iſaciæ, ſpes O fidiſſima terræ!
Alatâ populum nebulæ qui protegis umbrâ,
Et regis ambiguos nocturnâ lampade greſſus.
Par *Moſi* Ductor! cujus non debile Sceptrum
Melle novo, nivcoque undantes flumine ripas
Admovet, atque ipſum vinc'lis ligat *Ennoſigæum*.
Te, Te venturum per ſæcula longa Nepotem
Præſagus cecinit non infauſto omine Vates.
O Deſiderium Populi commune, Tuæque
Vox Patriæ! Juvenes de Te ſua ſomnia narrant,
Delirique ſenes; Te publica vota Parentem
Ritè vocant: in Te gens inclinata recumbit;
Explerique animum nequit, ardeſcitque tuendo.
Quà tendis, pictam ſolennes ordine Pompæ

Sponte viam ſternunt, blæſæque ad compita linguæ
Uſque Tuùm ingeminant repetito murmure Nomen.
Expectate diu Juvenis; quid ſera moraris
Gaudia? quid Regni decus imperiúmq; paterni
Temnis, & oblatas nondum moderaris habenas?
Vſque adeò cordi eſt nudis gaudere faventûm
Laudibus, & plàuſæ ſonitum virtutis amare
Exanimem? ignavúmque agitas inglorius ævum?
Donec, quæ tremulos radiis præſtrinxit ocellos
Gloria, langueſcit moriens; dubióque receſſit
Lumine, & in tenues paulatim evanuit auras.
Crede, Puer, (nec vana loquor) ſe ſponte reſolvent,
Si non maturas decerpſeris arbore fruges.
Nempe omnes æquo ſortimur numine divûm
Seriùs aut citiùs fauſti diſpendia fati.
Cujus ut ambages, & perplexum, arte magiſtrâ,
Inſequimur curſum: (Deus eſt ſua cuique libido)
Sors ruit in præceps, & per devexa viarum
Radit iter liquidum; levíque in tramite labens
Fertur in oppoſitam, celeri pede lubrica, metam;
Indeprenſa tamen, levibus pernicior Euris
Te fugit; & longo cita deſerit intervallo
Attonitis inhiantem oculis, & multa volentem —
Eia age, præcipiti nùnc, nùnc ruit obvia paſſu,
Dona manu, & fluxos pandens in fronte capillos.
Ille Tuus Genitor, ſi non fælicibus uſus
Auſpiciis, raptos Sceptri aſſeruiſſet honores,
Exul adhuc Gathicas Chelyn increpuiſſet ad oras,
Perfuſus nequicquam oleo labente capillos.
Te Patris juvenile decus, Te priſtina virtus
Excitet, emeritæ nolentem accedere laudi.
En, grave ut Heſperiis jàm jàm caput occulit undis!
I n, ut creſcentes decedens duplicat umbras!
Qualis nunc ſenior, quantùm mutatus abillo

Davide

Davide, quem turba ad ripas effusa, ruebat
Expectans reducem; cùm littora fervere latè
Prospiceres, omnémque rapi *Jordanis* arenam.
Sorte pari, Angelicæ quondam jactantior Aulæ,
Desuper impulsus ruit è superis Laribus Dux:
Sorte pari, æthereos vanescere sensit honores
Languidus, & vastam traxit per inane ruinam.
FOEDERE concusso (quo non præsentius ullum
Sub *Reditu* rebus dubiis affulserit Omen)
Quis populi rumor? quæ nunc opprobria jactat
Vulgus iners? Uno quondam constricta manip'lo
Agmina discussit Boreas; & turbine cæco
Aura levis vacui torquet ludibria cœli.
Nec metus est armis Regem se opponere nostris
Præsidiis orbum, atque hostili indagine septum.
Dic, in amicitiam coeant, & fœdera jungant
Niliacæ gentes: at non Hebræa juventus
Arma & opes Pharias; at non socialia castra
Indignans feret, atque externi opprobria Martis,
Diversas agit interea sub pectore curas,
Et notâ *Pharao* molitur fraude, supino
Insidias Regi, crescenti incendia bello.
Sed neque Jessæi comites socia agmina jungent
Laturi auxilium *Jebiis*, gentique nefandæ.
Esto tamen, pariles mittant in prælia turmas:
Mox fractæ studiis, & adhùc Mavorte secundo
Dissilient vires, Jessidæámq; relinquent
Hinc illinc aciem florentes ære catervæ.
Me Duce, subsidunt Proceres Regale perosi
Imperium; sævitque animis ignobile Vulgus.
Auspice me, junctis feriunt clamoribus auras
Religio & nullo constricta *Licentia* nodo.
Quod superest; si Te firmantem publica cernant
Armis arma Tuis, pariterque in bella ruentem,

Quæ

Quæ virtus alacres quæ ſpes arrecta Cohortes
Excitet! & quantis ſurgat Tua gloria rebus!
Nec laudis ſonitum, & tenuem ſine corpore vitam
(Qualis vere novo hilares flos paſcit ocellos
Pictâ veſte decens, & verſicoloribus alis)
Porrigimus; ſolido Sceptri donabimus auro.
Atque equidem ut fatear, longè faſtigia Regni
Præſtat, & oblatam, populo plaudente, Curulem
Scandere, quàm ſi avos & avorum antiqua ſonares
Nomina, Noæi jactans chirographa Ligni.
Finierat. Quid non juvenilia pectora cogit
Laudis ſacra fames, blandîs accenſa faventûm
Plauſibus, & famæ ſtimulis excîta futuræ?
Imperii in terris quanquam non æqua libido,
Igneus eſt olli vigor, & cœleſtis origo.
Cúmque animos, Superis gratiſſima cura, viriles
Tangit Honos, tantùm nimis alto pectore ſpirant
Æthereum ſenſum, & divinæ ſemina flammæ.
Igne calens multo Juvenis, mentiſque animique
Æmulus Angelici, virtutis calle relicto
Fertur in obliquum; penituſque in corda receptæ
Indulget famæ, popularique intumet aurâ.
Aſſenſu tandem dubio dum fluctuat Heros,
(Nam vel adhùc patriæ ſubiit pietatis imago)
Incipit effari. —Quid me pro legibus arma
Ferre juvet trepidis, libertatemque tueri?
Ritè Parens magnâ populos ditione gubernat,
Ritè fidem vigil, & ſacratas protegit aras.
Dilectum caput, Iſacias juſtiſſimus unus
Qui tenuit virgas, & ſervantiſſimus æqui;
Cui Deus imperium firmat, cui militat æther.
Quis pecus ereptum vacuis nunc plorat in arvis?
Cui ſua non juſtæ defertur cauſa querelæ?
Millia quot facilis peſti devota futuræ

Juſſit

Juſſit adhùc ſpirare, & amicâ veſcier aurâ?
Quanto Ille obnixus noſtris molimine Cuſtos
Invigilat curis! placidam quæ gratia frontem
Temperat, & raro perfuſos ſanguine Faſces!
Sin nulla effrænas mollit clementia gentes,
Uſque ſuum Divo defendit judice crimen
Jeſſides. Sed enim patrias acuiſſe ſecures
Quid juvet, & duri flagro inſonuiſſe Tyranni?
His *Nilum* premat imperiis, his ſæviat armis
Trux *Pharao*: Juvet hunc magnâ dominarier Aulâ;
Hunc reſides frænare animos, & inertia corda.
Si tamen inviſas Genitor molitur habenas,
Abramidis fatuos ſub pectore ſuſcitat ignes
Invida temperies cœli, & *Syrius* ardor.
Mene acies ergò ducentem, me quoque tanget
Communis furor, & ſcelerati inſania belli?
Judæos (eſto) ſummi de culmine regni
Trudat, & ereptâ *Jebios* in ſede reponat:
Flere meum eſt: ultra ferar? imperioſa coerçet
Luctantes natura manus, & temperat iras.
Plebiſcita ſuo licet aſſeruiſſe Tribuno:
Sanguine ſed dextram hanc Patriæ Jus imbuet; & quæ
Dimittent alios, capient me bella nocentem.
Me Pater extenſæ cumulato munere dextræ
Occupat; &, votis nondum ſpirantibus, inſtat.
Quò potuit facilis civem perducere Princeps,
Aſcendi, ſupraque nihil niſi regna reliqui.
Illa ſed— (ingemuit, mediaque in voce receſſit)
Marte ferox, & ſtirpe prior ſibi vendicat Heros.
Nam Pater ut placidâ demùm ſopitus in urnâ,
Fila manu increpitans, cœleſtem perſonet aulam,
Angelici pars una chori; mox integra Proles
Arripiet Sceptrum, vel lævi Tramitis Hæres.
Ille odiis quanquam populi jactatus iniquis,

Uſque

Usque tamen fidens animi sterit omnia contra
Securúsque sui. Rerum qui sanctior Ordo
Hunc colit; & magnæ (fortissima pectora) Turmæ
Insignem virtute Ducem, ac fulgentibus armis:
Turba gravem bellis dextram, & Mavorte secundo
Terribilem celebrant Externa; Domestica, fidam:
Obsequii, Princeps; laudum præconia, spargit
Perque Orbem, perque Astra superbæ buccina famæ:
Hunc facilem Plebs dura canet, cùm fronte serenâ
Surgentes animos, & amico temperet æstus
Lumine, Jessææ stirpis non degener Hæres.
Ergone me Parcas, & ineluctabile fatum
Incusare juvet, quòd non arriserit Æther
Nascenti, magno nec turgent sanguine venæ? (Ianti
Quanquam (O!) si dederit Mihi Me, si Numen anhe-
Aut aliud Genus, aut alias sub pectore flammas
Sortitum, haud dubiâ submersum stirpe vigorem
Fregerit: & tantos animæ restinxerit ignes!
Fallôr? ——
An tumidus fervet circum præcordia sanguis?
Illa Patris virtus Materno in limite claudi
Indignata furit. Quid inerti compede cingor
Semideus? parilem quid non infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet?
Est hic, est animus, socii qui corporis ægras
Vix patitur sordes; qui claustra invisa refugit;
Imperiique capax arrectæ immurmurat auri:
Regna petas, tantæ liceat succumbere culpæ:
Regnandi Superis non est ingrata libido.
Quem simul ac nutantem *Orci Umbrarumque Satelles*
Viderit, ut cessit vix tandem frigida virtus,
Instat anhelanti præceps, urgétque, premítque,
Incendítque animum dictis, atque aggerat iras.
Haud tantas hominum Divûmque æterna Potestas

In-

Ingenti fruſtrà cumulat ſub pectore dotes.
Quæ Te fatamanent! quali tibi ſurgere regna
Auſpicio cernes! Non his virtutibus alto
Mercedem imperio dederit ſors æqua minorem:
Sic mea fulſiſti, ſic Te Tua lingua refellit.
Sed neque me Patrii tranquilla potentia regni
Sollicitat: quanquàm ſublimi fronte verendis
Regibus, & valido debentur ſceptra Tyranno.
Quid quamvis laſcivo indulget vota popello,
Et cumulat, quos non licuit meruiſſe, favores?
At protenſa manus pronos in munera Reges
Arguit, & faciles; genii, non pectoris index.
Tùm datur excuſſis latè diſcurrere frænis,
Cùm manibus laxas Auriga remittat habenas.
Quin age fundat opes, exhauſtæque incubet arcæ;
Et fruſtrà cautum compellet voce ſenatum,
Donec, qui miſero Siclus protenditur, unà
Divulſum trahat imperium, & venalia Jura.
Moliri inſidias, & ruptæ fœdera pacis
Excutere, his humeris, ſiqua eſt, ea cura recumbet.
Et cùm æger loculo quadrans ſuſpiret in imo,
Nos petet; & ſumptis ponet *REGALIA* nummis.
At nudo ſi quis lateri bonus hæret *Achates*,
Fautor (ne dubites) *Jebiorum*, & *Verna Canopi*
Audiet inviſi: donec ſtipantibus orbum
Jeſſiden turmis fœdæ vaga buccina famæ
Concinat, & naſo populus ſuſpendat adunco.
His ſuper, Hæredem (mihi formidabile Nomen)
Suſpectumque dedi; & verbis odia aſpera movi.
Ipſa ſuum Virtus noſtris ſubjecta querelis
Præcipitat Dominum: Ruit ingens mole ſuâ Vir:
Dùm toto Juvenes ſpargunt convitia pago;
Atque Hoſtem latè clamat longæva Senectus.
Venalis proſtabit Honos, cadet Hoſtia plenis

Jus & Fas Loculis; noſtroque litabitur Auro.
Inde tuum Leges, & Plebiſcita coacta
Firmabunt Titulum; Jeſſidæoſq; favores
Eliciet duris urgens in rebus Egeſtas.
Sin ruat in lævum tantæ fiducia cauſæ;
Sceptra tamen juncti dederint ſuffragia Vulgi:
Scilicet imperii (Populi grave Pignus) eodem
Quo dantur Faſces, poſſunt Authore revelli.
Nec, quanquàm recto miſſus de tramite, Plebem
Jus habet in Dominam, quem ſors male deſtinat, Hæres.
Quid quamvis avido ſolium prohibemus? at uno
Vulnere communem juvat avertiſſe ruinam.
Pridem animos experta ſuos Hebræa Juventus
Haud ferret Humanis proſcindi terga flagellis
Quæ priùs Ætherias audens excuſſit Habenas.
I nùnc, & curas, & jus obtende paternum,
Armorum ſcelus, & venturæ opprobria famæ:
Vox Populi, facilem cui nec Deus abnuit aurem,
Spemquè dabit menti dubiæ, ſolvètq; timorem.
Neve animos valeat pietas ſimulata virîles
Flectere; naturæ ſunt hæc documenta magiſtræ:
Nempe catus genitor, longum quò proroget ævum,
Oſcula filiolo libans in imagine vivâ
Se fovet, inque ſuis ſe tantùm amplectitur ulnis.
Vel patrium donis paribus teſtetur amorem,
Vel dubias ultrà ceſſet prætendere fraudes.
Haud vano Patrem luſit Deus omine, ſceptrum
Qui dedit, æterni monumentum & pignus amoris.
Credibile eſt imis Paſtorem arſiſſe medullis.
Cui tàm formoſi pecoris dedit eſſe magiſtrum.
Quòd ſi Te gremio libuit foviſſe paterno,
Te caram ante omnes ſobolem, quid ſceptra merenti
Abnegat? invisùſque in regnum quæritur Hæres?
Ergone ſe Curam Cæli, pietatis Alumnum

Jactat

Jactit? & Hæredem titulo fraudare patronis
Diis placuit? Fratri rerum commiſſa poteſtas,
Te ſteriles glebæ, emenſi Te jugera campi
Agnoſcent dominum; &, pleno dare vela favori
Si juvet, accipies, quâ jàm Pater antè ſolebat
Stridenti miſerum Cytharâ diſperdere carmen.
Quinetiam ſolio qui proximus imminet Hæres,
Per tenues nebulas, per ficti nominis umbras,
Aeriaſque ſuperficies veſtigia longè
Obſervata memor legit; & proſpectat euntem:
Et, quanquàm obductum premat alto corde dolorem,
Uſque agit inſidias; &, quas tacet, aſperat iras.
Utque Leo, quem jàm collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, incautam fortè catervam
Si videt, Ille dolos oculis meditatur apertis,
Et vigil obliquo declinat lumina ſomno;
Rugitus premit horrificos, & contrahit ungues:
Tandem ubi palantes juxtà conſpexerit hoſtes,
Proſilit è latebris, & fulvæ verbere caudæ
Ductores ipſos cælo capita alta ferentes
Sternit humi præceps; neglectum vulgus, & omnem
Hùc illùc miſcet nemora inter frondea turbam.
Ergo age, rumpe moras; certandum eſt cominùs armis;
Sat paci precibuſque datum. Stet frangere bello
Hoſtiles acies, aut certæ occumbere morti.
Stringe manu ferrum: defenſæ ſanguine vitæ
Abſolvet Natura ſcelus. Torpeſcere vulgo
Nec vacet, & duros armorum expendere caſus,
Ne taciti ſudent, ne provida pectora terror
Occupet; & nondùm commiſſo Marte recedant.
Admotam arripias falcati Temporis anſam;
Dùmque Pater ſupereſt, dubii Jus aſſere regni:
Neu quis ſcire dolos poſſit, Te finge Parentis
Devotum caput armato cuſtode tueri;

Quem conjuratis in aperta pericula turmis
Hinc raperent Hoſtes, hinc cæcâ fraude Clientes.
Et quis Jeſſææ reſeret penetralia mentis?
Forte vetat timor, & placito luctatur amori.
Uſque licet juncti communia fœdera lecti
Incendant animum, & ſtimulos ſub pectore verſent;
Vincit cura ſui, fraternæque impetus iræ.
Atque adeò vetitos jubet extorquere favores,
Ipſe minax: ut quæ dubiis ſuccumbere votis
Ardet amans meretrix; &, quos fugit, allicit ignes.
Sit via vi: miſtâ cùm jàm ſubriſerit irâ,
Aggredere; & gratas luctanti immitte catenas.
Quâ Regem ſpolias, Tibi fas ſperare ſalutem;
Et captiva ſuum comitantur jura Tyrannum.
His dictis blandâ lapſus per viſcera flammâ
Incenſum miro Juvenem inflammabat amore.
Purus adhùc ſceleris (niſi quod ſcelus eſſet Amari,)
Nec faſtu tumidus, fuſo nec ſanguine gaudens,
Vixerat (heu!) quantâ notus ſuper æthera famâ,
Si purum hauſiſſet venis & ſanguine Regem;
Nataleſve forent, cœlo ridente, minores.
Digna quidem incaluit generoſo in pectore virtus,
Quæ gravidam imperiis gentem frænaret; & omnem,
(Ni patriam malles) ſub leges mitteret Orbem;
Cùm tamen ingentes animos habet alta libido
Imperii, præſtat madido deflere reatum
Lumine, quàm nigro ſcelus inſignire lapillo.
Olli nempe animo ſpes larga inſederat imo
Plebejos tentandi aditus: ſic poſſe revelli
Rivales ad ſceptra manus. Hinc ducere turmas
In ſcelus ardentes placuit, *FOEDUS* que malignâ
Arte ſequi; & rabido ſimul inſanire popello.
Has dùm facundo meditatur pectore fraudes
Achitophel, querulas vocat ad ſua caſtra Cohortes;

Atque

Atque animat junctas ſtudia in contraria Partes.
Prima mali labes, Procerum manus emicat ardens,
Quos plebeius amor, veríque ſimillimus error
Impulit in lævum; quos nullo clauſa poteſtas
Limite ſollicitat, Regníque extenſa libido.
Hos patriæ ſanctus rapuit per cæca viarum
Libertatis Honos, atque Omnipotentis Alumnum
Jus Populi, donec laxum ingemuiſſe videres
Imperium, & ruptâ penitus compage revelli.
Auri ſacra fames alios jubet impete cæco
Civiles miſcere manus; & publica jura,
Temporibus dubiis, privatæ obtendere fraudi.
His gravis imperii moles, & inutile pondus
Arguitur Princeps, Sceptro qui nixus inerti
Nunquàm larga ſui reparet diſpendia damni.
Frugi homines! patrio *Jeſſiden* pellere regno
Aggreſſi, nimio quia conſtitit Imperitari.
Horum ponè legunt (ut mos) veſtigia Linguæ
Venales, rauci vaga Tintinnabula Vulgi.
Hæc leviora tamen. —Solymæum protinus Agmen
Ancipites ſtringunt gladios, & utrinque laceſſunt
Jeſſiden, paritérque Viro, paritérque Tyranno
Infenſi; pia Gens, jampridèm excîre tumultus
Edocta, & motis in ſeditionibus audax.
Ollis, Rex patrias ſi fortè reviſerit oras,
Protinùs arrectæ ſurgunt in vertice criſtæ,
Incaluere animi: ſed & Hoſ tamen uſque juvaret
Oſcula Victrici fixïſſe trementia dextræ.
Æmula Gens ſcelerum, Jebicæ quæ Peſtis honorem
Indignata, pares in fœdera miſcuit artes,
Et malè rivales animoſi pectoris iras.
Has rapit, has animat bella in civilia turmas
Myſtarum lymphata Cohors, quos tempore longo
Raptus Hcnos agitat, vetitíque injuria Fani.

Ergo

Ergo iterant ſolitas artes, & compita rauco
Gutture pervolitant; ſanctique afflaminis æſtro
Bacchantes, grati poſcunt moderamina Cœli:
Cùm ſoliti junctis ſævire in regna flagellis
Linigeríque Greges, Trabeatáque Turba vocarent
In prædam, partémque Deum. Nam Sceptra Nepoti
Quis negat Aronico, pietas ſi ſceptra rependat?
Hi ducunt agmen. Qui quanquàm haud nare ſagaci
Veſtigent aditus omnes, omnémque pererrent
Arte locum: magnis tamen æthera vocibus implent,
Et penitus rupti quatiunt fundamina Regni.
Ponè ſubit tardis inhians ad pulpita verbis
Sancta cohors, veteriſque tenens veſtigia flammæ
His gravis eſt rerum facies, & lucidus Ordo;
Evertiſſe juvat ſtructas ad ſydera moles:
Nec tamen everſas juvat inſtaurare ruinas.
Plenior hìnc numerus denſatas explicat alas;
Mentis inops, linguâ melior: quos cæca libido
De Patribus, Populóque, Penatibus, & magnis Diis
Sollicitat, natúſque intra cunabula fervor:
Quos uſſit Jebici pariter, Stygiique Tyranni
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.
His, licet invitis (neque enim, ſe Judice, quenquam
Sanctorum invaſit fidei malè lubricus error)
Cœleſtes facili patuerunt cardine valvæ.
Ecce faces belli! —Sunt & Lernæa Propago,
Sunt & multifidæ fœcundo è Vertice Criſtæ,
Quas nimius memorâſſe labor.—
Ante aciem fulgent Proceres. —Stat limine primo
Buckingh: Hortator ſcelerum *Zimri*, cui pendula motu
Mens fluitat dubio, tanquam contraxerat omnem
Hìnc illìnc genium, & quocunque ſub æthere nati
Pectoris ambagem. Dicto ſermone moveri
Difficilis, pravique tenax: ſed moribus anceps

Alternis

Alternis animum nùnc hùc, nùnc dividit illùc;
In partésque rapit vicibus; pérque omnia versat:
Et, priùs emensum quàm Luna recurrat in orbem,
Rem Populi tractat, Tibicinis, atque Chymistæ.
Mox Veneri indulget, Laurusve ad Carmina mordet,
Aut pictis inhiat Tabulis, aut Pocula torquet.
Adde vagos cerebri lusus, quibus impetus idem
Et dedit, & rapuit, vix dùm spirantibus, ortum.
O Fælix animi rabies! qui semper, & omni
Nocte, diéque potest alienos sumere mores.
Olli (dùm argutum mentis distringat acumen)
Vel placuit plenis præconia spargere buccis,
Mordacesve sales verso suspendere naso.
Hoc stetit in votis, patrios dispergere census,
Immeritos magnis opibus donare Clientes.
Vix tandem, ut loculis elapsa pecunia plenis
Fluxerat, ignavæ sensit ludibria Turbæ:
Dùm suus Huic lepor arrisit, Cultoribus aurum.
Dein multo solitum buccas inflare cachinno
Aula fugat. —Cæcos tùm primùm excîre tumultus,
Et rapere incensos castra in contraria Cives.
At non Plebeiis unquàm Bellator in armis
Emicuit Princeps: tanto par solus honori
Signifer *Achitophel*: lateri cui proximus hæret
Absalon, & socias molitur pectore curas
Ergo ubi jàm misero peccandi sola voluntas
Sur'puerat sceleris labem, non sponte malignos
Deseruit cœtus, pridèm desertus ab illis. (nores
Stemmata quid referam? quid carmine dignor Ho-
Patricios, Seriémque rudem? —Fulgentibus Ordo
Emicuit melior cristis, cui Bellica Virtus,
Aut Plebs, aut Cytharæ cordi. Dein agmina stipant,
Et Proceres titulo tenùs; & bona Turba Mariti.
Exulet his ergo (proh turpia nomina!) chartis

Frigidus

Frigidus in Venerem *Caleb*, & membrosior æquo
Balamus. Sed & Hunc oblivia longa recondant,
Qui nova Paschali condivit fercula cœnæ.
Cana fides multos, & junctæ fœdera dextræ;
Hos sua defendit solido munimine Virtus:
Hos prohibent meritis scelerum Fastidia flagris.
At procul hinc, procul ite foràs Vos, ultima duri
Fæx populi, parcus cui finxit corda *Prometheus*,
Et cautus nullos Princeps indulsit honores.
Nec *Jonam* nostris vacat inseruisse libellis,
Quanquàm humeris tenùs à collo palearia pendent;
Quanquàm jus dederit sceleri, Legúmque sinister
Interpres plebeiam ænigmate sanxerit iram.
Proximus Huic (longo nec proxumus intervallo)
Stat *Shimei*, sacro jampridèm percitus œstro;
Et Regale caput Stygiæ damnare paludi
Ausus, adhùc nudis renatâ lanugine malis.
Sed caro sceleri venerandæ intacta Crumenæ
Obstat Religio; & metuentem Sabbata vincit
Auri sanctus amor, lucríque arrecta cupido.
Ille quidem testes jurare & fallere Divos
Horruit: At *Regum* si detestabile nomen
Auribus imbiberit, ferali protinus ore
Intonat, iratúmque omnes effundit habenas.
Ut tandem, tremulos Privata ad Templa susurros
Fundere, & occultas (ut mos) innectere fraudes
Edoctus, pleno Custos inhiârit acervo;
Tam chari Capitis sudorem Urbs grata rependit,
Gestandásque dedit (pretium non vile) Secures
Dextra tenet strictam *Nemesin*: ît pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tùm placidi fluxere dies, & nescia rumpi
Gaudia; tùm nudo licuit convitia Sceptro
Ingerere & Stygiis bacchari impunè Catervis.

Scilicet, intacti quamvis non prodigus auri,
Uſque tamen ſcelerum ſocios, Turmàſque nefandas
Amplecti miro *Shimei* properabat amore.
Et conjuratum ſi forte coiverit Agmen
Auſi vipereas *Jeſſidæ* intendere linguas,
Vertitur in medio *Shimei*; Cætùſque malignos
Ne moveat, ſocias effundit pectore diras.
Quòd ſi aliquis charo *Sanctorum* de grege reſtim
Horruerit, culpæ veteris reus atque tacendæ,
Bardiacus Judex datur hæc punire volenti.
Quem jubet in fratrem laxas dare legis habenas
Junctus amor ſcelerum, & cognato in vulnere vulnus.
Nam quid agunt leges? durum & grave Regibus agmē
Cæco umbone tegunt, fidum genus enſe reſcindunt.
Si qua Tribunitiis ſuccedant otia curis,
(Quippe ingens ſcelus eſt, ignavo elabier horam)
Moris erat, ſcriptas in volgum ſpargere chartas,
Regem multa queri, durum quem mercibus Hoſtem
Arguit, & populo nimiùm grave pondus anhelo.
Et, vivum ingenii quò fortiùs iret acumen,
Non vetitæ Proles Rechabitica parcior uvæ,
Nulla meri cuſtos vacuis ſtetit amphora cellis;
Rara Tribunicias onerant convivia menſas;
Dedidicit veteres tandem Coqus immemor artes;
Igne focus nullo tepuit: ſed pectore flammæ
Vis ſedet atque olidam verſat mens atra culinam.
Tanta hyemis, gelidìque Laris reverentia multis
Succutiat latus, & tremulos de more cachinnos
Eliciat: ſed enim fauſtum ſtat Civibus omen.
Scilicet urbs, rapidos quæ jàm conſidit in ignes,
Cautos jure legat Dominos, qui fomite nullo
Alliciant læſo demiſſa incendia cælo.
Servorum Ille animis ſuperæ convivia menſæ
Indulgens, ventres modio caſtigat iniquo

Carne parùm ſaturos; nempe hinc accenſa libido
Moverat *Iſacidas*: dirique inſania Belli.
Sanctiùs ergo colit veneranda dogmata ſacri,
Quòd *Moſem* Sinici ſacra ad faſtigia clivi
Viderat intactis Lux Quadrageſima labris.
Cætera de genere hoc, adèo ſunt multa, loquaceñ
Delaſſare valent (quamvis in FOEDERA) Teſtem.
Nulla tamen memori *Coram* lux eximet ævo,
Nulla unquàm cæcâ rapiet ſub nube vetuſtas.
Erige adorandi capitis decus, erige frontem
Siſyphiam, & ſolido circum-ſeptum os orichalcho.
Eia age, cognati vivax *Serpentis* Imago,
Indue feſtivas ſacro velamine gentes;
Securumque gregem viridi tege protinus umbrâ.
Quid ſi humili natus Lare ſit? tamen antè Cometes
Terrenas fæces bibit, atque infauſta vaporum
Semina, quàm lævo contriſtat lumine Cœlum:
Et, ſua frondenti quæ cingat tempora lauro,
Par Regum Pueris Textoris ſordida proles.
Ille ad Roſtra fremens ſparſâ dùm primus arenâ
TESTIS OVAT, tumido venturam in ſæcula famam
Detulit Hæredi, longumque nepotibus ævum.
Cui dubium eſt, magno cenſeri ſanguine Teſtes,
Qui tulerant lætos *Stephani* de morte triumphos?
Levitică Noſter deduxit ſtemmata Virgâ;
Qui ratus eſt Ordo (ſe'cli pro more) Tonantis
Grande ſatellitium, & magni Gens optima Cœli.
Triſtè ſonat vox rauca, cavis ſtant ſedibus orbes:
(Uſque adèo nec bile jecur, nec Sanguine ferver)
Vim magnam ingenii, & miras ſub pectore dotes
Arguit immiſſi ſpatium admirabile menti.
Ore ſedet rubicundus honos, & fulgura vultus
Moſaici; nitidóque micat frons digna Sacello.
Mens rerum uſque tenax potuit (mirabile dictu!)

Con-

CONCILIA, atque impar fidei ſcelus ordine longo
Eruere, arcanoſque Dolos, ſeriémque profundam.
Quæ tamen haud fictam credas fudiſſe Tabellam:
Ecquis enim tantas potuit diſponere fraudes?
Multa animi ſacra vis, & mens divina futuri
Inſperſit chartis: ſed enim ſub fine labanti
Succurrit Teſti Vates, atque omina firmat.
Plurima nocturni referunt ludibria ſomni;
Scilicet excuſſit ſibi ſe, fruiturque Deorum
Colloquio: hinc magnus pullatâ veſte ſacerdos
Emicat, ignotum Phœbæa per Oppida Nomen.
Aſt illi memoris quanquàm vis mira cerebri,
Haud minùs argutum mentis præſtabat acumen:
Nempe illo dubias munivit robore chartas.
Et populi arriſit genio (ſic fata trahebant)
Horrendas *Jebiûm* cædes, atque arma frementi.
Gens tamen Iſaciæ ſi quando infenſa quieti
Eſſe putet clauſi ficta internuncia cœli
Tradidit arcano quæcunque volumine *Corah*,
Uſque luet meritas æquo ſub Judice pœnas:
Nam quæſtum qui tollit, idem facit occidenti.
Quòd mihi ſi *Coræ* ſacrato munere fungi
Sors haud læva daret, quiſquis foret ille virorum,
Qui tanto intactum macularet crimine nomen,
Excuteret vigili damnoſa oblivia menti:
Sic ſtat, finitis à tergo appendere chartis.
Æternas illum maculas inſpergere famæ
Jeſſæas rabies demiſſi cœlitus œſtri
Impulit, & nimiùs circum præcordia fervor.
At quantus pietatis honos! cui libera linguæ
Vis datur, & nullam ſubitura licentia legem.
Inde truci licuit *Coræ* clamoribus iiſdem,
Queis *Saulum* increpuit *Vates* animoſus, *Agagum*
Protrahere in medios, juſtæque opponere morti.

Cætera Turba pares miſcens in *FOEDERA* Chartas
(Quos amor admovit, pretiive inſana libido)
Coraïcæ juncto ſuccedent ordine Claſſi:
Nempe omnes uno cenſentur nomine *TESTES*.
Ergo Lares patrios *Juvenis*, magnámque relinquit,
Stipatus variis hinc inde Clientibus, Aulam,
Subdit laudis amor ſtimulos, dat fræna furenti
Ardua ſpes; dubiique animat vicinia regni.
Undique viſendi ſtudio juvenúmque ſenúmque
Circumfuſa ruit manus, & proſpectat euntem
Attonitis inhians animis.—Volat Ille per Urbes,
Conſiliúmque tegens vultu, ſpem fronte ſerenat.
Poplite genua cadunt humili, cervice reflexâ
Hùc caput atque illùc humero ex utróque pependit.
Arte vagos oculos, & membra decora juventæ
Temperat, arte manus; numeróſq;, modóſq; loquendi
Inſtruit; & populum compellat vocibus ultrò,
Nomine quemque vocans.———
Ergo animi accîtis hinc dotibus, hinc benè cultu
Nativo ſplendens, tacito per pectora lapſu
Se blandùm inſinuat: dein triſti lumina vultu
Dejectus, gemitúſque trahens in verba decoros,
Tandem pauca refert: Sed mollibus apta querelis
Lenè cadunt, dubiæque fluunt accommoda fraudi.
Non ſic Hyblæis demanant flumine lento
Mella favis, parilive animos dulcedine mulcent.
Haud levis, *Indigenæ Cives*, hæc pectora veſtri
Tangit cura mali: ſed enim dolor oſſibus hæret
Interior, quòd non valeam reſcindere duras
Imperii leges, & iniquo occurrere fato.
Ille ego ſum magnâ qui dudùm ejectus ab Aulâ,
Pulſus ob invidiam ſolio ſceptriſque paternis,
Unum pro cunctis mactor Caput,———
Quòd Mea ſi Veſtræ ceſſiſſet pœna ſaluti,

Haud

Haud lævam nùnc ſortem, averſaque fata dolerem:
Sed ſuper his (proh triſte nefas!) dulciſſima quondàm
LIBERTAS patrios mecum concuſſa Penates
Deſerit, & tenues evanida ceſſit in auras.
Quinetiam tumidi circùm vetus accola *Nili*
Claſſe vagâ ſpolia ampla rapit, Tyriæque Juventæ
Parva manus noſtris latè Rex imperat undis:
Nec minùs in Ritus ſævit *Jebuſita Sacerdos*.
At Genitor, ſacrum ſemper mihi Nomen, inerti
Dùm torpens Aulâ refides inglorius annos
Ducit, & externo malè ſedulus incubat Auro,
Jàm ſenior Bathſhebæis elanguit ulnis.
Ille ſibi infeſtum ſceptrum quatit; arcet Amicos,
Ereptíſque caput Titulis hoſtile coronat,
Ille (nec indignor) mihi Jus rapit: æſtuo, *CIVES*,
In ſua quòd præceps, & publica commoda peccat.
Hunc penes eſt unum turbati fœdera regni
Excutere, & validis ſævire impunè flagellis.
Accipite has ergo lacrymas (lacrymantia terſit
Lumina) quando aliud miſero nihil Iſte reliquit.
Non patrias hæc arma gravis Delator ad aures
Incuſet, tacito geminans delicta ſuſurro:
His etiam in Patrem conſurgat Filius armis.
Atque utinam ſolio qui proximus aſſidet Hæres,
Me, Me unum madidos tergentem ſpectet ocellos.

Sæpe leves animos formæ decus atque Juventæ,
Occupat, & pulchro veniens de corpore virtus;
At Commune Bonum valet, æternúmque valebit;
Neve illi deerunt juncti ſuffragia vulgi,
Qui mala privatis immiſcet publica damnis.
Turba gravis ſceptro, placidiſque inimica Tyrannis

Præ-

Præsenti turgent *Messiæ* numine, juncto
Messiam sublimè ferunt ad sidera plausu.
Ille volans celso festiva per Oppida curru,
Dulce solum grati lustrat *Canaanis*; & omnem
Metitur radiis, (Phœbææ Lampadis instar)
Vesper ab Eôo quà distat cardine, terram.
Circùm Equites, Peditesque, & præcedentia longi
Agminis officia glomerant; it nuntia fama
Per populos: crebris resonat clamoribus æther.
Si quibus Augustus succedat sedibus Hospes,
Illum omnes Genitúmq; Loci, Famulumq; Tonantis
Voce vocant; Divûmque Viro dignantur honores.
Ante alios lautæ explicuit convivia mensæ
Issachar, occiduis jàm tùm notissimus Oris.
Hic Aulæ decor, & lascivæ gloria Pompæ
Usque licet populi blandè gratantis ocellos
Luserit attonitos, speciosum crimen obumbrat:
Nempe has *Achitophel* vafro sub pectore fraudes
Struxerat, ut dubios plebejo in corde recessus
Tentaret, cæcósque animis excuderet ignes;
Infensum penitús Sociis secerneret agmen;
Bellantesque acies expenderet, antè recurvæ
Quàm vis ranca tubæ duri canat omina belli.
Usque tamen noctem cæptis immiscuit atram
Fictus amor Regum, Sceptríque ruentia fata,
Relligio vetus, & Curarum dulce Levamen.
(Nomina decepto semper placitura popello)
Quin & Jessææ perrumpent stamina vitæ
Fraternique doli, vetitique injuria Lecti.
Ergo Theatrali pestis latet aspera pompâ,
Et bona Pax taciti molitur semina belli.
Heu fatui Cives! quos nunquàm exercita fatis
Sors domuit, simili pronos innectier hamo,

Anti-

Antiquíſque dolis. Quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, dirique jubet contagia morbi
Fingere, adhùc validis juvenili robore nervis;
Rimari dubias incerta per omina clades;
Regibus hæredes imponere, jura Tonanti?
Ergo ſui populus venturíque arbiter ævi
Imperii excuſſas aliò deflectat habenas?
Tùm cadet indomito Jus & Fas præda furori,
Et cuicúnque licet bacchari impunè Tyránno.
Nequicquam auſpiciis Legum, ſcriptiſque tabellis,
Nitimur, & placidæ jactamus munia vitæ,
Si Lex Arbitrio Regali ceſſerit ultrò.
Quòd ſi plebejæ fallaci examine Libræ
Vis recti ſteterit, Regùmque vicarius Ordo
Commiſſas fidei geſtet de more Secures;
Aut hoc naſcentis dudùm ad primordia regni
Invaluit pactum, aut nullo vim detulit ævo.
Regia qui nudis admôrunt ſceptra lacertis,
Ni pariter ſeros traherent in facta Nepotes.
Undé ſuum *Adamus* ventura in ſæcula crimen
Spargeret; &, patrium mundo averſante reatum,
Exigeret juſtas vindex Rhamnuſia pœnas?
Tùm rabidam Princeps ſolitus frænare catervam
Imperio vulgi premitur, Rerúmque Magiſtros
Lege ſuâ populi magni regit Omnipotens Jus.
Vis Regni, quâ ritè bonum commune tuemur,
Quàm malè defertur Plebi? Nàm ſumma Poteſtas
Si quando armatæ triſtis cadat hoſtia dextræ,
Quis certam rebus poterit ſpondere ſalutem?
Sed neque adorandi ſemper præconia veri
Spargit Vox Populi; paritèrque erroris opacis
Involvi tenebris Uni licet, atque Cohorti.
Scilicet innocuas Virgas plebs ægra laceſſet,
Queſta ſcelus duri, ſtragésque, & flagra Tyranni.

Quæ

Quæ dabit incerto juris mensura popello
Qui celer ad metam cùm jàm defluxerit imam,
Trudit iter, rapidamque citatior urget aquæ vim?
Nec Turbas solùm informes, vulgùmque profanum
Hi stimulant æstus; magnis Fanaticus Error
Conciliis irrepsit, & iracunda Diana:
Cùm civile nefas, junctique insania ferri
Feralem imbueret Regali Sanguine dextram;
Et ficto Augustum fœdaret crimine Nomen.
Quod si Illis ea sit rerum concessa potestas,
Et rapere, & raptos aliis transmittere Fasces,
Non tantùm Regalis honos, atque æmula cœli
Gloria vanescet moriens, sed magna fatiscet
Imperii moles, & rupti machina regni
Antiquos repetens ortus, ubi sortibus æquis
Vivitur; & pleno liceat dare vela furori.
Libera sed dentur populo suffragia: — Nùm quis
Regalem admoto sedem petat arjete, quæ jam
Pondere fixa suo validis radicibus hæret?
Nàm populo, quàcunque gemens sub mole laboret,
Intendunt duplices mutata pericula pœnas.
Pulsa quidem hùc illùc aliis Respublica damnis
Distrahitur: sed enim nullâ sub lege vagantes
In Nova fert animos lævi inclementia cœli.
Siqua vetus Moles jàm jàm lapsura, cadentíque
Imminet assimilis, dubias fulcire ruinas
Sis memor & tremulos valido tibicine postes;
Hactenus Officii labor est: sed meta labori
Hæc ster fixa suo: siquid temerarius ultrà
Moliris, sanctam digito violaveris Arcam.
Religione sacras ædes, senióque verendas
Eruere, atque imis evertere fundamentis,
Hoc istis incumbat onus, qui turpiter audent,
Qui Terrâ cœlòque ratas exscindere leges

Aggressi

Aggreſſi Dominos furiali Marte laceſſunt.
Qui, laxis cùm jàm laterum compagibus omnem
Miſcuerint penitus molem, tùm partibus ægris
(Proh ſcelus!) impendunt medicæ miracula dextræ.
Uſque adeo herbarum vires, atque invida Succi
Copia luſtratas vitiantem tabe medullas
Eliciunt Peſtem, & gravioris ſemina morbi.

Se quibus obſeſſum *Jeſſides* muniat armis?
Heu nimis infauſtum pietas ſua Regibus omen!
Fida cohors raro nùnc perſonat atria cætu:
Regis nempe favor duram (pro tempora!) vulgo
Accendit rabiem, & plebeias aſperat iras.
At neque Jeſſæis deerat nùnc turba periclis,
Inconcuſſa tenens dubio veſtigia regno:
Hos memorem; ſequitur memoratum gloria Nomen.
Ante omnes princeps, parvâ ſtipante catervâ,
Barzillai ſtetit: Ille annis tituliſque verendus
Barzillai, qui dextrâ olim crudele rebelli
(Ultra ſpumantem *Jordani* fluminis undam)
Extorſit ferrum, & ſurgentes contudit iras;
Hoſtili tandem, nec diis, nec viribus æquis,
(Heu fruſtrâ audacem!) turmæ congreſſus, Herili
Succubuit fato, ſocioſque per omnia Luctus
Pertulit, & paribus fixit veſtigia curis.
Donec longa Dies patriâ conſidere Terrâ
Juſſit, & in ſolido rurſus Fortuna locavit.
Fraus illi neſcire dolos, dùm nomine ſolo
Aulicus, effuſo ſparſit vaga munera nimbo,
Et crevere pares, auro creſcente, favores.
Ille opibus juvit, vultu ille accendit amico
Bellantemque Ducem, & referentes bella Camænas.
Natorum incanum quondam numeroſa Parentem
Turba coronabat: primum nunc ſtirpis honorem

Spemque domûs orbæ dolet. — Illum Ego ſæpe acer-
Semper honoratum (ſic dii voluiſtis) habebo. (bum
Illum ego — adhuc viridi florentem robore, lævis
Ereptum auſpiciis, & iniqui crimine fati:
Ante tamen ſummæ tangentem culmina famæ;
Ante & muneribus functum, quæcunque parenti
Debuit, aut Regi, Properanti meta Laborum:
Longa ſteterit, medii longum æquoris intervallum:
Ille, uſque obſtanti ſpatio, poſt terga reliquit
Temporis haud æquas, pedibus pernicior, alas.
O nimis anguſti conſtrictus limite gyri
Circulus! at toto, quaquà patet, integer orbe.
Terra Tuis infecta, Tuis rubet unda Triumphis;
Arma Tibi in votis, Tibi Mars & prælia cordi,
Cùm Tua Sidonios virtus infracta maniplos
Fulſerit, attonitis rediit *Niloticus* alis:
Victor, & alterni erubuit diſcrimina Fati.
Heu pietas! heu priſca fides! invictaque bello
Dextera! non illi ſequiſquam impunè tuliſſet
Obvius armato. ——————
Ah! nimiùm *Judæa* Tuis indigna Trophæis!
Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus.
Dùm læva (heu!) noſtram meditantur ſydera cladem,
Succeſſuſque novos ſpectant, metuuntque futuros,
Te rapit atra dies, & funere mergit acerbo,
Irrita ne fixi reddas præſagia Cæli.
Nunc fugis exuto terrenæ pondere molis,
Et vagus inſueti lumen miraris Olympi,
Sub pedibus nubeſque videns, & Sydera. Longo
Illinc cognatas poſſis diducere Turmas
Ordine, & inſidiis fracto ſuccurrere Regi.
Siſte gradus hic, muſa, tuos; hic exue pennas:
Siſte gradus. — Quis enim tanti faſtigia clivi
Aſcenſu ſuperat? — Mihi jam nimis alta petenti,

Et

Et mæſtum rauco modulanti gutture carmen,
Deficiunt vires.— Quid te juvat uſque morari,
O anima, erepto Domino? ni ſorte ſub umbras
Fugiſti comes; & lugubrem hunc marmore verſum
Incidi placuit, Monumentum & pignus amoris.
Ergo age, præcipiti delabens tramite Terras
Reſpice deſertas; ſimilemque per atria Regum
Quære virum.- Heu ſimilem nequiequam!-Ecce Alter
Leviticæ *Zadoc* Cuſtos ſanctiſſimus Aræ, [ab illo,
Qui tulit invitus (Judæi inſignia myſtæ)
Fulgentem in gremio Thoracem, in vertice Mithram.
Et juxta *Solymæ Præſes*, quem larga bonorum
Pectora nobilitant, & aviti ſtemmatis ordo.
Heſperij Laris Antiſtes, cui copia torrens
Dicendi, validi ſemper comes argumenti.
His ſuper exemplis jampridem accenſa Juventus
Inſtituit primos Regi Muſiſque Labores.
Scilicet auſpiciis florent Regalibus; & quas
Rex habet infeſtas, & habent Collegia. Turmas.
Hos à calce premunt Judæi gloria roſtri,
Qui juris nodos, & legum ænigmata ſolvunt.
Exiguum hinc fidumq; Ducũ ſeſe explicat Agmen:
Ante omnes *Adriel*, venam natura benignam
Cui tribuit, ſolidæque argutum mentis acumen.
Pieridum Fautor: nectit ſed & ipſe canoris
Eloquium vocale modis.—Fervente ſenatu,
Jus ſacrum aſſeruit regni, non turpiter audax.
Hinc Jeſſæus amor titulis adjunxit avitis
Haud merito Nati raptam de tempore Laurum.
Hùc etiam *Jothamus* adeſt, cui divite venâ
Largus & exundans prompti fluit ingenij fons.
Edoctus regere occulto fluitantia cætu
Conſilia, & dubiæ moderari fræna catervæ.
Ille ubi jam medios ſenſit delapſus in hoſtes

Spemque domûs orbæ dolet. — Illum Ego ſæpe acer-
Semper honoratum (ſic dii voluiſtis) habebo. (bum
Illum ego — adhuc viridi florentem robore, lævis
Ereptum auſpiciis, & iniqui crimine fati:
Ante tamen ſummæ tangentem culmina famæ;
Ante & muneribus functum, quæcunque parenti
Debuit, aut Regi, Properanti meta Laborum:
Longa ſtetit, medii longum æquoris intervallum:
Ille, uſque obſtanti ſpatio, poſt terga reliquit
Temporis haud æquas, pedibus pernicior, alas.
O nimis anguſti conſtrictus limite gyri
Circulus! at toto, quaquà patet, integer orbe.
Terra Tuis infecta, Tuis rubet unda Triumphis;
Arma Tibi in votis, Tibi Mars & prælia cordi,
Cùm Tua Sidonios virtus infracta maniplos
Fulſerit, attonitis rediit *Niloticus* alis
Victor, & alterni erubuit diſcrimina Fati.
Heu pietas! heu priſca fides! invictaque bello
Dextera! non illi ſequiſquam impunè tuliſſet
Obvius armato. ——————
Ah! nimiùm *Judæa* Tuis indigna Trophæis!
Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus.
Dùm læva (heu!) noſtram meditantur ſydera cladem,
Succeſſuſque novos ſpectant, metuuntque futuros,
Te rapit atra dies, & funere mergit acerbo,
Irrita ne fixi reddas præſagia Cæli.
Nunc fugis exuto terrenæ pondere molis,
Et vagus inſueti lumen miraris Olympi,
Sub pedibus nubeſque videns, & Sydera. Longo
Illinc cognatas poſſis diducere Turmas
Ordine, & inſidiis fracto ſuccurrere Regi.
Siſte gradus hic, muſa, tuos; hic exue pennas:
Siſte gradus. — Quis enim tanti faſtigia clivi
Aſcenſu ſuperat? — Mihi jam nimis alta petenti,

Et

Et mæſtum rauco modulanti gutture carmen,
Deficiunt vires.— Quid te juvat uſque morari,
O anima, erepto Domino? ni ſorte ſub umbras
Fugiſti comes; & lugubrem hunc marmore verſum
Incidi placuit, Monumentum & pignus amoris.
Ergo age, præcipiti delabens tramite Terras
Reſpice deſertas; ſimilemque per atria Regum
Quære virum.- Heu ſimilem nequiequam!-Ecce Alter
Leviticæ *Zadoc* Cuſtos ſanctiſſimus Aræ,
Qui tulit invitus (Judæi inſignia myſtæ)
Fulgentem in gremio Thoracem, in vertice Mitram.
Et juxta *Solymæ Præſes*, quem larga bonorum
Pectora nobilitant, & aviti ſtemmatis ordo.
Heſperij Laris Antiſtes, cui copia torrens
Dicendi, validi ſemper comes argumenti.
His ſuper exemplis jampridem accenſa Juventus
Inſtituit primos Regi Muſiſque Labores.
Scilicet auſpiciis florent Regalibus; & quas
Rex habet infeſtas, & habent Collegia. Turmas.
Hos à calce premunt Judæi gloria roſtri,
Qui juris nodos, & legum ænigmata ſolvunt.
Exiguum hinc fidumq; Ducũ ſeſe explicat Agmen:
Ante omnes *Adriel*, venam natura benignam
Cui tribuit, ſolidæque argutum mentis acumen.
Pieridum Fautor: nectit ſed & ipſe canoris
Eloquium vocale modis.—Fervente ſenatu,
Jus ſacrum aſſeruit regni, non turpiter audax.
Hinc Jeſſæus amor titulis adjunxit avitis
Haud merito Nati raptam de tempore Laurum.
Hùc etiam *Jothamus* adeſt, cui divite venâ
Largus & exundans prompti fluit ingenij fons.
Edoctus regere occulto fluitantia cætu
Conſilia, & dubiæ moderari fræna catervæ.
Ille ubi jam medios ſenſit delapſus in hoſtes

Feſtinata retro præceps veſtigia torſit;
Ancipitemque ſuo firmavit pondere Lancem.
Tantam unus tremulæ Libræ molem intulit Heros.
Nunc Muſa *Huſbæum* memora, civilibus iris
Jactatum, populique minis, per iniqua viarum
Jeſſidæ comitem. Perigrino ſydere rerum
Fluctibus in mediis teneros exercuit annos.
Nativaſque auxit cana experientia dotes.
Olli parca manus: Regalis parca crumenæ,
Larga ſuæ. Pleno facile invigilabis acervo:
Sed tenuem cauto moliri pectore gazam
Hoc opus, hic labor eſt ———
Tum ſacra Principibus creſcit languetve Poteſtas,
Cum ſua Vulgus emant, cum vendant jura Tyranni.
Extremum hunc *Amieli*, Erato, concede laborem
Feſſa licet: Quis non *Amielem* carmine laudet?
Non tam illum Proavi, veteriq; a ſanguine ſanguis,
Quàm ſua nobilitat virtus; Hâc Ille frementem
Hinc atque hinc æquâ libravit lance ſenatum;
Inflexitque animos dictis, & pectora mulſit.
Conſiliis acer jus non violabile regni
Aſſeruit, patriæque fidem: quaſi clauſerat uno
Pectore adhuc breviùs triplicis Compendia Gentis.
At nunc præcipites undantia lora remittunt
Aurigæ; juvat hos ignoto tramite labi:
Hi temerè annorum, veluti *Clymeneia Proles*,
Æternas miſcere vices, fixumque Tenorem
Mutare, & ſtabiles fati confundere Leges.
Interea hæc *Amiel* vultu miſeratus amico
Spectat; & exuto curarum pondere, carpit
Emeritam placidâ compoſtus pace quietem.
Jeſſæi en Comites! *Solymæ* qui clauſtra tueri,
Et conjuratis auſi ſe opponere turmis,
Contra ibant vulgi rabiem, tela aſpera contra:

Exigu

Exigui numero, ſed bello vivida virtus.
Scilicet inſurgunt iræ, dolor oſſibus ardet,
Cùm crebris laxi nutarent mænia Regni
Ictibus, & validis tremerent impulſa lacertis.
Dehinc numeroſa Cohors fictis exterrita monſtris
Imperii decus, & Regalia jura, Senatu
Judice, plebeiâ gaudet truncare ſecuri.
Quin & nativo pulſus lare regius Hæres,
Fraternoque ſinu, ſceptris prohibetur avitis:
Atque immanè fremunt conducti in *FOEDERA* Teſ-
Quæ ſimul ac duri ſenſit præludia fati (tes.
Fida manus Regem officio trepidante ſalutans
His animum accendit dictis, & vulnerat aures.
Nempe monet, caſſos in vulgum exire favores;
Imis jàm penitus morbum inſediſſe medullis,
Hauſurùmque novas leni à medicamine vires.
Abſalon intereà, regni quem cæca libido
Tranſverſum exagitat, turbam mirâ arte ſequacem
Allicit, & placido circumquáque implicat hamo.
Nec minùs *Achitophel* ſtimulis agitatus amaris
Inſidias ſtruit, atque horrendi *FOEDERIS* umbrâ
Communem Solii miſcet Templíque ruinam.
Effera Concilium rabies agit, effera Plebem:
Signifer *Iſacidis* fauſtum execrantibus omen
Prætendit *Shimei*, & feralibus imbuit iris.
Talia per populum paſſim Jeſſeius Heros
Et videt, & magno curarum fluctuat æſtu:
Tandem animi victus, dubioſque in corde volutans
Eventus ſecum, ſolio ſic orſus ab alto
Increpuit Gentes, & fatis ora reſolvit.
Conticuere omnes; multúſque ad terga Satelles
Aure bibit Divum Jeſſæâ in voce tonantem.
Hactenùs innocuam frænavit Gratia dextram,
Luctantes preſſi ſimulatâ mente dolores

Hacte-

Hactenùs; ultriceſque latent in pectore curæ.
Uſque adeo ſæc'li juvat in pejora ruentis
Abſolviſſe nefas: animóque inſcripta paterno
Regalem uſque adeò pietas compeſcuit iram.
At nunc tanta rapit miſeros inſania Cives,
Ut noſtræ paſſim ſubeant faſtidia pacis;
Ipſi aſpernantur veniam me Judice Sontes.
Unum pro multis ſtatui Caput, uſque fatemur:
Scilicet ut magno (neque enim ſors altera Regum eſt)
Imperio populos teneat, frænetque rebelles.
Ergone, quòd leni perfuſæ ſanguine venæ
Dulcè micant, timidum Gens arguet atque puſillum?
Fallitur; ingentes animos vindicta laceſſit
Segnior, & raræ magno ſtant pectore flammæ.
Si tamen accenſos ſtimulis haud mollibus æſtus
Irritare juvet; non me pietate coactâ
Sentiet elicitos pridèm ſparſiſſe favores.
Quæ noſtro ingeritur cumulata infamia tergo
Gibboſi melius premat horrida dorſa Cameli.
Fulcra quidem Divûm ſtatuuntur munere Reges,
Quorum humeris regni moles oneroſa recumbat.
Ille meus *Samſon* tremulas ſi forte Columnas
Succutiat fidens, ſociam trahat uſque ruinam.
Quanquàm ô ſi madidis tandem defleret ocellis
Antiquum ſcelus, & priſcæ veſtigia culpæ!
Quàm charæ ſoboli juvet ignoviſſe Parentem!
Quantula (proh ſuperi!) lacrymarum copia mentem
Molliret patriam, cùm pectora fortior urget
Impetus, & Natura ſuum tutatur Alumnum!
Heu nimiùm miſerande Puer! cui ſemper, anhelæ
Quicquid vis animæ potuit perferre, paterni
Stulta animi indulſit pietas, & amabilis error.
Imperii ſi fortè decus bona fata dediſſent,
Non adeò parcus Juveni præcordia Titan

Finxerat

Finxerat, aut tenues naſcenti inſeverat ignes.
Nomine *Publicolæ* captus! qui jure Tyrannos
(Ut nùnc ſæc'la ferunt) antiquâ pelleret Aulâ.
Patricio vafro pia Larva! & turgidus Heros
Gratanti Populo.——Nondùm, niſi læva fuiſſent
Pectora, *Publicolæ* quiſquam captavit honores.
Unde Illo potiùs quàm *Davide* gaudeat infans
Relligio, & Legum juſtiſſima cura Patrono?
Iſte catus ſcelerum libertatisque magiſter
Achitophel, noſtri cùm pridèm liminis hoſpes
Manſerit, haud tantas aluit ſub pectore flammas.
Heu pia ſeditio qualem ſine more furenti
Publicolæ obtendit nubem! Quicunque Tyranno
Hoſtis erit, populi Decus audiet, & Tutamen.
Hæredemne juvat noſtris obtrudere ſceptris?
Partiri cautum decuit ſua rura ſenatum.
Rex ego ſum, ſaltémque mei Pars integra regni:
Miſcentur Plebejæ, & Me quoque Judice, Sortes.
Nolenti Regem licet extorquere futurum?
Quidni etiam ſolio liceat Me pellere avito?
Noſtra quidem junctis poſcunt ſuffragia votis:
Eſavi ſed enim ſetoſis hiſpida villis
Brachia, *Jacobi* placidæ quàm diſſona linguæ!
Regalem Cives precibuſque & thure ſalutem
Uſque atque uſque rogant; quam ut poſſint ritè tueri
Dant requiem Sceptro, atque ingentibus otia curis.
Lenè fluant, Superi, placidæ bona gaudia vitæ;
Nec puros Scelus, aut rabies Fanatica ſoles
Inquinet: ante omnes *Orantem* avertite *Turbam*.
Hanc immenſa fames, & inexaturabile pectus
Exagitat; non ſic infœcundi inſtat & urget
Vox uteri; non ſic avidi jejuna ſepulchri
Vis furit; aut tanto vaſtum os expandit hiatu:
Plura petunt, quàm quæ votis ſuffecerit æther.

Ergo

Ergo ſtat inſomni tandem componere curâ
Relliquias Sceptri, & ſumptis tutarier armis.
Integra Lex placidas Regni moderetur habenas,
Atque eadem Turmas juſto premat enſe Rebelles.
Non ultrà adſtrictos ſolvent *Suffragia* Faſces,
Quorum vi junctis præſtat Pars altera membris.
Haud noſtris ultrà Laribus Gens fida clientum
Inſanis populi clamoribus acta recedet.
Non vulgo imperium Virgæ, rigidæque ſecuris
Tradetur, nullis qui miſtâ ſortibus Urnâ
Ultrices fuſo poſcant cum ſanguine pœnas.
Scilicet & Divi, & Divûm cognata Poteſtas
Uſque cavo Famulos gaudent umbone tueri.
O! mihi ſi nullo dextram maculâſſe cruore
Detur, & æternâ frontem circundare olivâ!
Quid Nemeſin cogor, poſt tempora longa, recluſam
Eripere & multâ obductum rubigine ferrum?
Proh Lex ſæva nimis, diri ſoror horrida Lethi!
Quàm malè degenerem tranquillâ à fronte timorem
Arguit infeſti male-ſuada inſania vulgi!
Pacati caveas rabiem, furiásque lacerti.
Ergo, *Aſtræa*, tuum, quem flagitat, exere vultum:
Cervicis teneræ laſcivos paſcere ocellos
Intuitu piguit: pleno juvat ore tueri,
Atque oculos tentare tuos, & fidere morti.
Jam ſuus Artificem Lethi (ſic volvere Parcas)
Trans adiget mucro, gratiſque occumbet in armis.
Se ferient *Teſtes* gladiis in mutua ſtrictis
Viſcera, dùm primos horrendi *FOEDERIS* ortus,
Maternúmq; uterum penitùs mandúntque, trahuntq;
Vipereo ſimiles generi: Tùm protinùs atram
Uſque bibant ſaniem, juvet uſque haurire cruorem,
Unde priùs teneræ traxerunt ſemina vitæ.
Belzebub in fratrem *Belial* ruet, hoſtis in hoſtem.

Nec

Nec minor eventu ſpes eſt : nam, more ferino,
Turba ferox belli totas in limine vires
Impendunt, primòque animas in vulnere ponunt.
Ergo age, præcipiti juvet indulgere furori ;
His tu cede malis, nec contrà audentior ito ;
Obliquàque latus, gyròque elude ſequentem.
Corpore cùm ſudor (nec reſpirare poteſtas)
Liquitur, & feſſas quatit æger anhelitus artus ;
Tùm demùm geminas intende in prælia vires ;
Nec mora, nec requies, quin ferreus ingruat imber.
Nempe æquam melior Cauſam qui protegit Heros
Sede diù quânquam pulſus, tandem impiger Hoſtes.
Sternit humi victor ; campòque potitur operto

Dixerat. Omnipotens fauſtùm ter vertice cano
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hinc anni fluere, hinc ſeclorum naſcier ordo
Lætus ab integro, & magni procedere menſes ;
Jeſſides iterùm ſolio conſedit avito ;
Et placido junctas tenuit ſub fœdere Gentes.

FINIS.

ERrata quædam insignioris notæ. Pag. 1. l. 1. *Myſtarum.* leg. *Myſtarum* Pag. 3. l. 34. *malas*; l. *malas* Pag. 4. l. 4. *juſtam dubio* l. *dubiam juſto* Pag. 10. l. 13. *deſcerperis* l. *decerpſeris* Pag. 10. l. 23. *volentem* l. *volentem*— Pag. 23. l. 18. *multa* l. *immanè* Pag. 23. l. 24. *Coqvs* l. *Coqvus* Pag. 24. l. 23. *Teſtes.* l. *Teſtes* Pag. 30. l. 9. *Nomen* l. *Nomen.*